



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacerdotale Ad consuetudinem S. Romanæ Ecclesiæ  
aliarumque ecclesiarum ex Apostolic[a]e bibliothec[a]e ac  
Sanctorum Patrum iurium sanctionibus, &  
ecclesiasticorum doctorum scriptis ...**

**Venetiis, 1579**

Sacerdos de[be]t monere ciues vt saltim Natale domini, festum Paschæ  
Resurr. & Pentecostes in ciuitatibus agat, quæ sunt festa de præcepto. c.

10

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40307**

**Que sint festa de precepto ab omnibus obseruanda.** 6

et a peccatis segregare. His peractis, et solo Deo creatore adorato, sanctos inuocet, ut pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur. Hec faciant, quibus basilicę locus prope est, in basilica. Qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in siluis, aut agris fuerint, ubicumque eos ipsa hora matutina, vel vespertina inuenerit, sic faciant, scientes Deum, ubique presentem esse: Dicente psalmista: In omni loco dominationes eius.

**Ex eodem concilio. Ca.** Sacerdotes admoneant populum, ut elemosinam dent, et orationes faciant pro diuersis plagis, quas assidue pro peccatis nostris patimur.

**Sacerdos docere debet ciues, ut festa solennia in ciuitatibus agant, et que sint festa de precepto. Cap. 10.**

**Ex concilio Agathensi. Cap. 5.**

**O**ccendi sunt ciues, ut Pascha, natale Domini, et pentecosten in ciuitatibus cum episcopis suis (nisi infirmitas impedierit) celebrent, accipiendę communionis, vel benedictionis gratia. Et quod hoc neglexerit, communionem priuet. Que festa celebranda sint sub precepto, habentur. **Ex concilio Lugdunensi. Ca. 4.** Item pronuncian- dum est: ut sciant tempora feriandi per annum: id est omnem diem officium a vespera usque ad vesperam, ne iudaismo capiant. Feriandi vero per annum sunt isti dies: Natalis Domini, S. Stephani, S. Iohannis Evangeliste, scilicet Innocentii, sancti Syluestri, Octaua Domini, Theophania: Purificatio sanctę Marię, sanctum Pascha cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus, Ascensio Domini, sancti dies Pentecostes, corporis Christi, sancti Iohannis Baptiste, duodecim apostolorum, maxime tamen sanctorum Petri et Pauli, qui mundum sua predicatione illuminauerunt, sancti Laurentii, Assumptionis sanctę Marię, Natiuitatis sanctę Marię, Dedicationis basilicę, sancti Archangeli Michaelis, Omnium Sanctorum, et sancti Martini, et Dedicatio cuiuslibetque oratorij, et ille festiuitates, quas singuli episcopi in suis episcopatibus cum populo collaudauerint: que vicinis tantum circum morantibus inducendę sunt, non generaliter omnibus. Reliquę vero festiuitates per annum non sunt cogendę ad feriandum, nec prohibendę. Indictum vero ieiunium quando fuerit denunciatum, ab omnibus obseruetur. **Ex concilio apud Compendium. Cap. 2.** Omnes dies dominicos a vespera in ve-

Quo ad totam hebdomadam statum est consuetudini.

**Admonitio sacerdotum super Decimas**

speram cum omni veneratione observari decrevimus, et ab illicito opere abstinere: et ut mercatus in eo minime sit, nec placitum, ubi aliquid ad mortem vel ad penam iudicatur. Nec sacramenta iurentur, nisi pro pace facienda.

**Sacerdos debet monere populum super decimis persolvendis. Ca. 11.**

**D**ebet et Sacerdos populi admonere de decimis deo solvendis, sicut dicit sanctus Augustinus, qui in concilio Aguntin. ca. allegatur. Decime ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus: Numpe meus es homo, mea est terra, quam colis: mea sunt semina, quae spargis, mea animalia, quae fatigas: meus est solis calor. Et omnia mea sunt, tu qui manus accommodas, sola decima merebaris. Sed reservo tibi novem, da mihi decimam. Si non dederis mihi decimam, auferam novem. Cum itaque Iudaicus populus preceptum decimarum tanta diligentia observaret, ut de minimis quibusque olusculis, rufa vicia, et crimino (ut et dominus testatur) decimas darent: cur non maiori studio plebs evangelica eandem impleat iussionem, cui et maior numerus est sacerdotum, et sincerior cultus sanctorum? Ideo ergo dandae sunt, ut hac devotione deus placatus largius praestet quae necessaria sunt, sicut superius ostendimus. Erunt sacerdotibus ac ministris ecclesiae cura et sollicitudine necessitatum corporaliu, sine quibus haec vita transigi non potest, relevata: ut liberiores fiat ad meditationem divinae legis, et doctrinae administrationem, atque spiritualis servitij voluntariam expletionem. Et ut munus populi quotidiana oblatione domino immolet, necnon haec statuta canonica in sustentationem pauperum, et restitutionem ecclesiarum proficiat: quatuor partes iuxta canones fieri de fidelium oblationibus debent, ut una sit episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta vero ad restorationem ecclesiarum servetur. **Ex eodem concilio Aguntinensi. Capit. 38** Admonemus atque precipimus, ut decime deo omnino dari non negligentur: quas deus ipse dari sibi constituit: quia tunedum est, ut quisquis deo suum debitum abstrahit, ne forte deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua. **Ex concilio Manetensi. Ca. 159** Praecipendum secundum canonum auctoritatem, ut de sepulcris et hominibus sepeliendis nihil muneris exigat: nisi forte qui sepelitur, vivens iusserit